



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 233. Vtrùm ratio sit potentia distincta ab intellectu, ac ratio superior, & inferior sint potentiæ distinctæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ergo etiam in parte intellectiua datur memoria, in quantum est virtus conseruatiua specierum, etiam cum obiecta speciebus repræsentata non cognoscuntur actu.

4. Si sumatur memoria in secundo sensu, in quantum est potentia, quæ habeat pro obiecto præteritum vt præteritum, ita vt ad illud sit determinata, non est in parte intellectiua, siquidem intellectus est potentia, quæ potest abstrahere à singularibus, & à loco, ac tempore, solæ autem virtutes sensitiuæ sunt restrictæ ad singularia cum loco, & tempore.

5. Opponitur: Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 3. & 8. dicit, quod ad partem sensitiuam pertinent, quæ sunt nobis, pecoribusque communia: sed eodem libro, cap. 2. dicit, quod possunt pecora sentire per corporis sensus corporalia, & ea mandare memoriæ, ac proinde quod memoria est nobis, pecoribusque communis; ergo ex Augustino memoria est in parte sensitiua.

6. Respondeo, quod ex dictis memoria conseruatiua phantasmatum est nobis, pecoribusque communis, & est in parte sensitiua iuxta Augustinum. At datur etiam memoria conseruatiua specierum intelligibilium, quæ est in parte intellectiua, ideoque Aristoteles 3. de anima, tex. 6. dicit, quod anima est locus specierum, non tota, sed intellectus. Iam sicut intellectus, licet sit potentia cognoscitiua vniuersalium, tamen potest etiam cognoscere se ipsum, qui est quidam singularis intellectus, sic potest cognoscere suos actus singulares, eorumque recordari; sed potest præterea procedere ad cognoscenda ipsa vniuersalia secundum se, abstrahendo à loco, & tempore, cum potentia sensitiuæ sint determinatæ ad cognoscenda sola singularia sensibilia, vt determinata ad locum, & tempus, vt magis explicauimus quæst. 34. logicæ.

7. Articulo septimo querit, vtrum memoria intellectiua sit potentia distincta ab intellectu.

Respondet negatiue, & addit, quod nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis, & agentis.

8. Probatur: nam quando aliqua potentia specificatur, commensuratur, & definitur per obiectum secundum aliquam rationem communem, in ea non distinguuntur plures potentia ex differentiis particularibus, quibus contrahitur illa ratio communis obiecti: e. gr. quia potentia visiva specificatur per rationem communem lucidi, & colorati, & definitur *potentia perceptiua lucidi, & colorati*, non distinguuntur in ea potentia visiva albi, potentia visiva nigri &c. quia potentia auditiva specificatur per rationem communem soni, ac definitur *potentia perceptiua soni*, non distinguuntur in ea potentia auditiva soni grauis &c. sed intellectus specificatur per rationem communem entis, & definitur *potentia perceptiua entis*, in quantum est ens, ac intel-

lectus possibilis dicitur, qui potest omnia fieri, recipiendo nimirum, & conseruando species intelligibiles cuiuslibet entis: eiusdem enim potentia passiuæ est species recipere, & conseruare: ergo in intellectu possibili potentia receptiua specierum non distinguitur à memoria, quæ est potentia conseruatiua specierum, & potentia intelligendi non distinguitur à potentia intelligendi rem vt ante intellectam, quæ etiam vocatur memoria. Distinguitur tamen intellectus possibilis, qui est potentia receptiua specierum, ab intellectu agente, qui est potentia productiua specierum, ex rationibus allatis qu. 34. de anima.

9. Confirmatur: nam actus, quibus recordamur, sunt quædam intellectiones; sed omnes intellectiones reducuntur ad vnam potentiam, ac dicimus, quod sunt actus intellectus: ergo memoria intellectiua, & intellectus sunt vnica potentia. Ex eadem ratione ostenditur, quod potentia apprehensiuæ, iudicatiuæ, & discursiuæ sunt vnica potentia, quia sicut omnes visiones reducimus ad vnam potentiam visiuam, ita omnes apprehensiones, iudicia, & discursus reducimus ad vnam potentiam intellectiuam. Memoria tamen posset aliquatitè distingui ab intellectu, quatenus superaddit species obiectorum ante cognitorum. In hoc sensu Sanctus Augustinus sumit memoriam, dum lib. 10. de Trinit. cap. 11. dicit in mente dari memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Vt enim docet Sanctus Thomas hoc art. 7. ad 1. *memoriam accipit pro habituali animæ retentione*, quæ habitualis retentio consistit in speciebus conseruatis, *intelligentiam autem pro actu intellectus, voluntatem autem pro actu voluntatis.*

QVÆSTIO CCXXXIII.

Vtrum ratio sit potentia distincta ab intellectu? & vtrum ratio superior, & ratio inferior sint potentia distincta?

S. Th. qu. 79. art. 8. 9.

1. Articulo octauo querit, vtrum in homine ratio sit potentia distincta ab intellectu.

Respondet negatiue. Probat primo ex S. Augustino, qui lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 20. & lib. 15. de Trinit. dicit, quod illud, quo homo irrationabilibus animalibus antecellit, est ratio, vel mens, vel intelligentia, vel si quo alio vocabulo commodius appellatur: ergo Augustinus rationem, mentem, ac intellectum, siue intelligentiam sumit pro eadem potentia.

2. Probatur secundo: nam etiam in rebus naturalibus eadem est potentia, per quam agens

agens naturale mouetur ad suum terminum, & qua in eo quiescit: ex.gr. per eandem grauitatem, per quam graui mouentur ad centrum, quiescunt in centro: per eandem leuitatem, per quam leuia mouentur ad circumferentiam, quiescunt in circumferentia: ergo à fortiori agentia intellectuā, & intentionalia per eandem potentiam mouentur ad veritatem, ac illam intelligendo apprehendunt, in eaque quiescunt: sed intelligere est veritatem intelligibilem apprehendere, in eaque quiescere: ratiocinari est ad veritatem moueri per discursum, procedendo ab vno in aliud: ergo eadem est potentia intellectuā, ac ratiocinatio, ac proinde in homine potentia intelligendi, siue intellectus non distinguitur à ratione, quæ est potentia ratiocinandi. Porro vt docet Dionysius cap.7. de diuinis nominibus, Angeli, quia habent intellectum perfectum, intelligunt veritatem simplici intuitu, sine discursu, ideoque vocantur intellectiui, homines, quia habent intellectum imperfectum, ad veritatem perueniunt discurrendo, ideoque dicuntur rationales, vt magis explicatum est quæst. 161.

3. Articulo nono quærit, vtrum ratio superior, & inferior sint potentie diuersæ?

Respondet negatiue iuxta doctrinam S. Augustini, qui lib. 12. de Trinitate dicit, quod ratio superior, & inferior non nisi per officia distinguuntur.

4. Probatur: nam licet quando vnum, est medium, per quod venimus ad cognitionem alterius, habitus, qui versatur circa medium, possit distingui ab habitu, qui versatur circa id, ad quod peruenitur per medium, eo pacto, quo habitus principiorum, qui versatur circa principia, & vocatur habitus intellectus, distinguitur ab habitu scientiæ, qui versatur circa conclusiones, tamen eadem est potentia rationalis, quæ versatur circa medium, & circa id, quod cognoscitur per medium, sicut eadem est virtus motiua, quæ mouetur ad medium, & per motum à medio transit ad vltimum; sed ratio superior, & inferior versantur circa obiecta, quorum vnum est medium ad cognoscendum aliud: ergo ratio superior, & inferior non sunt duæ potentie distinctæ, sed sunt vna, & eadem potentia. Probatur, & explicatur minor. Vt enim docet S. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 7. ratio superior est, quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis; conspiciendis quidem, in quantum æterna secundum se speculatur; consulendis verò, in quantum ex æternis accipit regulas practicas agendorum: ratio autem inferior est, quæ intendit rebus temporalibus; sed æterna, & temporalia respectu nostræ cognitionis ita comparantur, vt vnum sit medium ad cognoscendum aliud: ergo. Probatur minor: nam in via inuentionis temporalia sunt medium, per quod cognoscimus æterna, iuxta illud Apostoli ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta*

sunt, intellecta conspiciuntur: in via autem iudicii æterna vt iam cognita sunt medium ad iudicandum practice de temporalibus, ideoque ex æternis debemus iudicium ferre de temporalibus, ac de ijs disponere: ergo eadem potentia intellectuā versatur circa æterna, ac circa temporalia, ac proinde ratio superior, quæ contemplatur æterna, ac ratio inferior, quæ contemplatur temporalia, sunt eadem potentia intellectuā, ac solum differunt secundum diuersos actus, & habitus, & diuersa officia, ideoque habitus scientiæ tribuitur rationi superiori, habitus scientiæ tribuitur rationi inferiori.

QVÆSTIO CCXXXIV.

Vtrum intelligentia, intellectus speculatiuus, & practicus, synderesis, & conscientia sint potentie distinctæ inter se, & ab intellectu?

S.Th. quæst. 79. art. 10. 11. 12. & 13.

1. **A** Articulo decimo quærit, vtrum intelligentia sit potentia distincta ab intellectu?

Respondet, quod intelligentia proprie significat ipsum actum intelligendi, ideoque distinguitur ab intellectu, sicut actus à potentia, non autem sicut potentia à potentia. Addit primò, quod in quibusdam libris translatis ex arabico, substantiæ separata, hoc est Angeli, vocantur intelligentiæ, fortasse quia semper actu intelligunt: at ex libris translatis ex græco, tales substantiæ separata vocantur intellectus, seu mentes. Addit secundo quosdam philosophos ponere quatuor intellectus, intellectum agentem, intellectum possibilem, intellectum in habitu, & intellectum adeptum. Ex his intellectus agens, & intellectus possibilis sunt potentie realiter distinctæ, proportionaliter, ac in alijs generibus potentie actiua, ac passiuæ distinguuntur, vt explicatum est quæst. 231. Tres alij intellectus sunt vnus, & idem intellectus possibilis in tribus statibus consideratus. Intellectus enim possibilis, dum est in potentia tantum, ac veluti tabula rasa, est possibilis tantum: dum est in actu primo, & intelligit solum habitum, non actu, est intellectus in habitu: dum actu considerat, & contemplatur obiectum, est intellectus adeptus, siue in actu.

2. Articulo vndecimo quærit, vtrum intellectus speculatiuus, & practicus sint duæ potentie distinctæ?

Respondet negatiue. Probatur: nam intellectus speculatiuus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; intellectus practicus est, qui quod apprehendit, ordinat ad opus, ideoque